HOMILIA

SANCTISS. DOMINI NOSTRI

CLEMENTIS XI.

PONT. MAX.

HABITA

IN DOMINICA RESURRECTIONIS

CHRISTI DOMINI

Inter Missarum Solemnia

IN BASILICA PRINCIPIS APOSTOLORUM

ANNO MDCCIII.

FLORENTIÆ, MDCCIII.
Typis Regiæ Celsitudinis
Apud Petrum Antonium Brigonci.

Superiorum Permissu.

TREMUIT Terra Christo moriente: tremit iterum Christo resurgente: dispari sane tempore, luctus, & gaudii: pari tamen Æternæ Sapientiæ consilio, pari Divinæ Clementiæ beneficio. Fecit siquidem moriente Domino in hominum mentibus trementis Terræ vox, quod Christi prædicatio non fecerat; cujus scilicet illi inter mortales agentis contempsere miracula, nutante solo, cum expiraret in Cruce, confessi sunt Filium Dei. Facit itidem hodie in custodibus Sepulchri militibus concussæ Telluris fragor, quod Angeli è Cœlo descendentis fulgor non fecerat; quippe quos cœlestis illa lux ab incredulitatis somno minime revocavit, terrestris trepidationis excitat rumor, impiosque Mi-

niſtros Dominicæ Paſſionis, teſtes jubet eſſe Reſurrectionis. Adeo verum eſt, Venerabiles Fratres, Dilecti Filii, luce ipsâ Solis clariorem eſſe lucem ſagittarum Domini, & fulgurantis ejus haſtæ ſplendorem, ut idem ille, qui inter proſpera Mundi propitio Solis lumine illuſtratus, Domino dixerat: auditu auris audivi te: ſplendidiori fulgurum luce inter adverſa percuſſus, exclamaverit: nunc autem oculus meus videt te. Vidimus & nos, Dilectiſſimi, inter Terræ tremores, vidimus Dominum, oculis noſtris vidimus, in luce ſagittarum vidimus: vidimus excitantem procellas, & effundentem iras: vidimus de Sion rugientem, & dantem de Jeruſalem vocem ſuam; ac ſicuti de Angelo ad Chriſti tumulum ſedente, Evangelica narrat hiſtoria, vidimus aſpectum ejus ſicut fulgur: vidimus paupertatem noſtram in virga indignationis ejus; oculos quip-

pe

pe nostros, quos clauserat culpa, aperuit pœna: non quidem inflicta, sed ostensa; neque enim unquam aliàs speciosiorem misericordiam Dei, quàm in tempore tribulationis, quasi nubem pluviæ in tempore siccitatis, agnovimus; dedit siquidem Dominus timorem suum in cordibus nostris, ut non recederemus ab eo: adeo ut cum Regio Propheta fateri compellamur: illuxerunt coruscationes tuæ Orbi Terræ, dum commota est, & contremuit Terra. Quemadmodum scilicet olim, cum Deus Moysi legem ediceret, Terra mota est, etenim Cœli distillaverunt à facie Dei Sinai, à facie Dei Israël: sic iterum Terram novissime concutere visus est Dominus, ut peccatores ad legis, quam violaverant, semitas misericorditer revocaret. Reliquum nunc est, ut grandia, quæ nobis contulit, dona Divina dignatio, jugiter custodire satagamus: cu-

re-

remus itaque, ut quæ nova facta sunt, non redeant ad vetustatem; non omittat opus suum, qui manum misit ad aratrum; ad hoc attendat, quod serit; non ad id respiciat, quod reliquit. Revolutus est lapis ab ostio monumenti, cum trepido tumultu dehiscens terra nutaret, ut mulieres ingressæ Sepulchrum, quod prius clausum fuerat, verè Christum surrexisse probarent; ut nos è Sepulchro egressi, quo prius clausi fuimus, verè cum Christo surrexisse probemur. Sit igitur perpetua resurrectio nostra, sicut perpetua fuit resurrectio Christi; ostendit hic exemplo, quod nobis promisit in præmio; nemo in id recidat, unde surrexit; nemo ad superna vocatus ad ima deflectat; nemo ad antiqui hominis spolia, quæ deposuit, revertatur; quæramus cœlestia, terrena despiciamus: ibi desiderium nostrum figamus, ubi quod offertur, æternum est; ut ita ceptam

in

in Chriſto priorem reſurrectionem imitantes , ad aliam incorruptibilem glorificandæ carnis reſurrectionem feliciter , adjuvante Domino , perducamur.